

ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placitum.

R. Veni in altitudinem maris, * Et tempestas demersit me. **V.** Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. — Et.

Lectio viij.

Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est, inquit, anima mea. Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera. Denique spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione.

R. Intret in conspectu tuo oratio mea: * Inclina aurem tuam ad precem meam. **V.** Quia replata est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.

— Inclina. **Gloria Patri.** Inclina.

Lectio ix.

Denique ait: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit consequentia declarant: quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immensis sacrilegii poenas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem a me. Non quia Deus, Dei Filius, mortem timebat: sed quia nec malos pro se perire volebat. **Te Deum. 20.**

**AD LAUDES,
et per Horas, Añae.**

1. Venit Jesus * cum discipulis suis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc et orem.
2. Et assumpto Petro, * et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse.
3. Tunc ait illis: * Tristis est anima mea usque

ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum.

4. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

5. Pater mi, * si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum. Matth. xxvj.

Venit Jesus ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intratis in tentationem.

Hymnus.

Venit e caelo Mediátor alto
Quem sacri dudum cecinere vates:
Parce moerori, lacrymisque amaris
Filia Sion.

Attulit mortem vetus hor-
tus unde
Culpa prodivit: novus iste
vitam
Hortus en affert, ubi nocte
Jesus
Permanet orans.

Vindicem placat Genitoris
iram:
Reprimit forti jacienda
dextra

Fulmina: occurrit sceleri
expiando

Sponte Redemptor.

Sic teret duos laqueos
Averni,
Et diu clausam reserabit
aulam,

Nos ad aeterni revocans
beata
Gaudia regni.

Laus, honor Patri, geni-
taeque Proli,

Cui datum nomen super
omne nomen,

Et Paraclito decus atque
virtus,

Omne per aevum.

Amen.

V. Doce nos orare. **R.** Sic ergo vos orabitis.

Ad Bened. Añae. Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequamur. Qui vivis.

AD TERTIAM.

Capit. Venit Jesus. supra.

R. br. Tristis est, * Anima mea. Tristis. **V.** Usque

ad mortem. Anima. **G**lória Patri. Tristis.

V. Pater mi, si possibile est. **R.** Tránseat a me calix iste.

AD SEXTAM.

Capitulum. **Luc. xxj.**
Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

R. br. Pater mi, * Si possibile est. Pater. **V.** Tránseat a me calix iste. Si possibile. **G**lória Patri. Pater. **V.** Vigilate, et orate. **R.** Ut non intrétis in tentationem.

AD NONAM.

Capitulum. **Matth. v.**
Orate pro persecutibus, et calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.

R. br. Vigilate, * Et orate. Vigilate. **V.** Ut non intrétis in tentationem. Et orate. **G**lória. Vigilate. **V.** Factus est sudor ejus. **R.** Sicut guttæ sanguinis.

IN II. VESPERIS.

Anæ et Capit. ut in Laud.
Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost. [2] et loco ultimi Ps. Crédidi. [19]
Hymn. ut in j. Vesp. [354]

V. Factus est sudor ejus. **R.** Sicut guttæ sanguinis.
Ad Magnif. Aña. Ecce appropinquávit hora, et Filius hominis tradétur in manus peccatorum.

FERIA TERTIA
POST DOMIN. SEXAGES.

Commemoratio
Passionis D. N. J. C.
Duplex majus.

Omnia ut in Officio votivo de Passione D. N. J. C. [324] præter seq.
Antiphonæ duplicantur.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti: concède propitius, ut sicut solénnem commemorationem passionis ejus celebrámus, ita et patientiæ ipsius habere documénta, et resurrectionis consortia mereámur. Per eúndem Dóminum.

Inj. Nocturno, Lect. Commendat caritatem. [331]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustini
Episcopi.

Serm. xlj. Dom. in Palmis de Passione Domini.

Lectio iv.

Dmonet nos, fratres caríssimi, ad solemnitétem Dóminicæ passionis dies ipse, in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Célebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt étiam siléntia tenebrarum. Hódie Dóminus noster in statéra crucis pretium nostræ salutis appéndit, et una morte univérsum mundum, sicut ómnium Cónditor, ita ómnium Reparátor absolvit. Indubitánte enim credámus, quod totum mundum redémit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Méritum enim redemptæ mercédís dignitas insignis pretii supergréssa est. Inter redemptum et redimétem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata própria, digne delévit aliéna. Solus hic pia víctima pro ómnibus cécidit, ut omnes leváret; et quia débitum solus non hábuit, recte fœnus misericórdiæ pro debitoribus erogávit.

R. Ego propter te Chananaeorum reges percússi, et dedi tibi sceptrum re-

gále; * Et tu dedísti cápiti meo spineam corónam, et percussísti arúndine caput meum. **V.** Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. — Et tu.

Lectio v.

Perpénde inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecúniam, qualem a nobis sit exacturus úsram. In hac itaque die fides prophéticæ annuntiatiónis impléta est, ita dicéntis: Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti a fœditate sputórum. Suscépit mala nostra, ut tribúeret bona sua. Hinc intelligámus quantum hóminem dilígere dignátus sit ante culpam, quem sic diligit post ruínam. Agnósce, homo, quantum váleas, et quantum débeas: et dum tantam redemptionis tuæ perspicias dignitatem, ipse tibi indícito peccánda pudórem. Ecce pro ímpio pietas flagelláture, pro stulto sapiéntia illúditur, pro mendáce véritas necáture, damnátur justítia pro iníquo, misericórdia afficitur pro crudéli, pro mísero replétur sinceritas

acéto, inebriátur felle dulcédo, addícitur innocéntia pro reo, móritur vita pro mórtuo.

R. Ego duxi te per désértum quadragínta annis, et manna cibávi te; * Et tu me cecidísti álapis et flagéllis. **V.** Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. — Et tu.

Lectio vij.

EXpávit scelus hóminum natúra rerum, et quem creatúra rebéllis non agnóscit, eum mundi Dóminum tremens terra testátur, et cœli Regem sol fúgiens confitétur. Chlámyde coccínea indúitur, quia sáanguine Mártýrum suórum Ecclésiæ corpus ornátur. Coróna spínea cápiti ejus impónitur, quia púnctio peccatórum nostrórum, quorum remissióne Redemptóris glória strúitur, áridis tribulis comparátur. Studeámus nunc e diverso, ut membrórum vita cápitis sit coróna. Quod vero sitíre se in cruce pósitus dicit, fidem incrédulæ gentis concupiscit : sed e contra acétumque in spóngia pórrigunt, quia vinum sapiéntiæ, quod a Deo accépe-

rant, peccádo corrúperant. Velum templi scín-ditur, quia Synagóga honóre nudátur, observátio antiqúa dissólvitur, Ecclésiæ únitas præmonstrátur. Monumenta aperiúntur, quia mortis jura jure superántur.

R. Ego exaltávi. [336]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. xix. f

IN illo témpore : Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. lxxxiv. in cap. xix. Joann. ante medium.

SCiens Jesus ómnia consummáta, ait : Sítio : étiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem astántium pravitátem intéllige : nam licet innúmeros habeámus inimicos, qui nos gravissime persecúti sint, cum tamen intéri mi eos vidémus, fléctimur misericórdia. Hi vero nil moti, magis efferántur, et irrident, acétumque in spóngia pórrigunt, ut bibat tantamquam reus : nam propter

hoc hyssópum ádditur, quo gustáto, mórtuus est. Vides quam non perturbáte, et quam poténter ómnia transigéntem? Quod et prósequens osténdit : cum enim ómnia consummáta essent, inclinátio cápiti, quod affixum non erat, trádidit spiritum, hoc est, expirávit.

R. Ego te potávi aqua salutis de petra : * Et tu me potásti felle et acéto. **V.** Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. — Et.

Lectio viij.

ATqui non post inclinátum caput expirátur, sed post expiratió-nem caput inclinátur. Hic autem contra áccidit : per quod osténdit eum Evangelísta esse ómnium Dóminum. Judæi autem camelum devorántes, et cúllicem excolántes, tantum nefas ausi de die consúltant : Quóniam Parascève erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura. Vides quanti sit véritas? Per ea quæ illi fáciunt, prophetia implétur; ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo

mílités, et aliórum fregérunt crura, non Christi : sed ad Judæórum grátiam conciliándam latus ejus lancea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem ac scelestíssimam!

R. Ego ante te aperui mare : * Et tu aperuísti lancealatus Salvatóri tuo, * Qui redémit mundum in sáanguine suo. **V.** Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. — Et tu. Glória Patri. Qui redémit.

Lectio ix.

NOli tamen perturbári, dilectíssime : quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophetia hinc impléta est, inquires : Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánium mystérium consummátum est : exívit enim sanguis et aqua. Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésiá constitúta est. Sciunt hoc initiáti : per aquam enim regeneráti. sáanguine et

carne nutriti sunt. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens accedas.

Te Deum laudamus. 20.

FERIA TERTIA
POST DOM. QUINQUAGES.
Sacrae Columnae
Flagellat. D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ. 1. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apost. [2] et loco ult. Ps. Credidi. [19]

2. Oblatus est quia ipse voluit, et livore ejus sanati sumus.

3. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?

4. Humiliatus sum nimis, libera me a persecutentibus me, quoniam confortati sunt super me.

5. Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

Capitulum.

Is. liij.

Gnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et po-

suit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

Hymnus.

Salve Columna nobilis, Christi dolorum conscia:

Queis fracta virtus demonis,

Exempta nobis vincula.

Cruore Abelis illita

Tellus ad astra clamat: Clamas, Columna, ad sidera,

Inuncta Jesu sanguine.

Sed illa ad iram vindicem

Clamat severi Judicis;

Iram foves tu Numinis Pacemque quaeris sонтibus.

O perge semper flectere Poenas minantem dexteram:

Quae sanguisemit praemia Christi fruamur perpetim.

Caeso flagellis gloria,

Jesu, tibi sit Jugiter,

Cum Patre et almo Spiritu

Nunc et per omne saeculum. Amen.

Sic concluduntur Hymni ad omnes Horas.

V. Corpus meum dedi percutientibus. **R.** Et genas meas vellentibus.

Ad Magnificat, Añæ.

Aspersus est sanguis eorum super vestimenta

mea, et omnia indumenta mea inquinavi.

Oratio.

Deus, qui pro salute nostra in assumptae carnis infirmitate ad columnam alligari, et flagellis caedi voluisti: concede propitius; ut qui ejusdem columnae solennia celebramus, pretiosi sanguinis tui fructum consequi mereamur: Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitorium. Jesum Dei Filium flagellis caesum * Venite adoremus.

Ps. Venite, exsultemus. 2.

Hymnus.

Adeste quotquot criminum Funesta labes inficit; Jesum revinctum funibus Nudumque membra cernite.

Loris, catenis, fustibus Ictu frequenti tunditur: Corpusque livet, mox sacro

Totum madescit sanguine.

Sed ille, ut agnus innocens Cultro necandus, conticet: Parcat Patetque ut sонтibus

Imo precatur pectore.

Sic nempe culpas diluit Quas gignit ardor improbus:

O vana cessent gaudia, Cessent faces libidinis.

Caeso flagellis gloria,

Jesu, tibi sit Jugiter

Cum Patre et almo Spiritu, Nunc et per omne saeculum. Amen.

In I. Nocturno.

Añæ. Fremuerunt gentes, et convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Ps. Quare fremuerunt. 5. **Añæ.** Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.

Ps. Usquequo Dñe. 10.

Añæ. Inimici mei animam meam circumdederunt, et susceperunt me sicut leo paratus ad praedam.

Ps. Exaudi Domine. 13. **V.** Ego in flagella paratus sum. **R.** Et dolor meus in conspectu meo semper.

De Isaia Propheta.

LECTIO j.

Cap. liij.

Guis credidit auidi tui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum:

despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi absconditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

R. Super omnes inimícos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis: * Et ossa mea conturbáta sunt. **V.** Factus sum tamquam vas pérditum, quóniam audivi vituperatió-nem multórum commorántium in circúitu. — Et ossa mea.

Lectio ij.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse voluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisió-nem ducétur, et quasi

agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de iudicio sublátus est: generatió-nem ejus quis enarrábit? Quia abscessus est de terra vivéntium: propter scelus pó-puli mei percússi eum: et dabit impios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus.

R. Effúdit super eum Dóminus indignatió-nem furóris sui, et forte bellum: * Non pósuit ei misericórdiam, et aggravávit super eum jugum suum valde. **V.** Quis dedit in direpti-ó-nem Jacob, et Israel? Nonne Deus cui peccávimus? — Non pósuit.

Lectio iij.

Et Dóminus voluit contérrere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánimá ejus, vidébit et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit: ideo dispértiam ei plúri-

mos, et fórtium dívidet spólia; pro eo quod trá-didit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

R. In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, impropérium exspectávit cor meum et misériam. * Quóniam ego sum pauper et dolens. **V.** Quem tu percussisti persecúti sunt, et super dolórem vúlnerum meórum addiderunt. — Quóniam. **Gloria.** Quóniam.

In II. Nocturno.

Añá. Sustínui qui simul contristarétur et non fuit, et qui consolarétur et non invéni.

Ps. Salvum me fac Deus. 99.

Añá. Fui flagellátus tota die, et castigátió mea in matutinis.

Ps. Quam bonus. 104.

Añá. Super me confirmátus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Ps. Dñe Deus salútis. 121.

V. Ego autem sum vermis et non homo. **R.** Opprobrium hóminum et ab-jéctio plebis.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

De Passione Dñi, cap. xl.

Lectio iij.

Quanta rubricátió rosæ invenitur in crudéli flagellatió-ne mansuetíssimi Agniró-sei Jesu. Oh! cum quanta quantitate putas illum sanctíssimum sánguinem ex conscisso córpore, et flagelláto distilláre in terram. Oh! quanta putas sævítia impiórum fre-méntium, quanto frémitu sæviéntium flagellátum putas dulcem Jesum; qui vénerat ut nos a flagéllis liberáret ætérnis! Sine causa, inquit, flagéllis cecidérunt me. Vere sine causa, nisi forte misérrimi et perversi bona ópera tua pœnis digna judicárent qui veritátem tuam in mendácio detinuérunt.

R. Dixérunt impii: veníte cogitémus contra justum cogitatiónes, quóniam contrárius est opéribus nostris: promittit se sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat, et gloriátur Patrem se habére Deum. * Videámus si sermónes illius veri sint, et si est vere Fílius Dei, liberet eum de má-nibus

nostris. *V.* Veníte, percutiámus eum, et non attendámus ad univérsos sermonés ejus. — Videámus.

Lectio v.

SED et hic moráliter erudímur, ut flagélla benigníssimi Patris nostri discámus æquanímiter toleráre, qui pessimórum flagélla pro nobis indignis tam patiénter sustinuit dulcis Jesus. Quis enim flagélla non sufférret homo in flagélla parátus, ad labórem natus, in peccátis nutritus, et conversátus, hereditáti coeléstis aulæ destinátus, quæ nonnisi mundos récipit? Cum vídeat Regem ómnium regum et Dóminum domínantium dulcem Jesum, qui peccátum non fecit, et in cujus ore non est dolus invéntus, tam grávis flagellatióibus esse contrítum.

R. Ecce ego indúcam super te terrórem, ait Dóminus Deus exercítuum ab ómnibus qui sunt in circúitu tuo. * Párvulum dedi te in Géntibus, contemptíbilem inter hómines. *V.* Pavéscere fáciam eum coram inimícis suis, et in conspéctu quæréntium ánimam ejus, et ad-

dúcam super eum malum, viam furóris mei. — Párvulum.

Lectio vi.

AUdi, o homo stulte et insipiens, et erudire, et non solum non réfuge, sed étiam apprehénde disciplínam, ne forte quandoque péreas de via justa, Dómino tibi irascénte, qui próprio Fílio suo non pepércit, sed propter te trádidit flagellándum. Non pepércit filio suo naturáli et consubstantiáli sibi, coætérno et impassibili, quin pró salute tua ipsum fáceret nasci in témpore et passibilem, et flagéllis contéretet, sicut scriptum est : Dóminus voluit eum contérene in infirmitáte. Et quómodo parceret tibi filio adoptívo, cum sensus tui proni sint in malum? Quia in camo et fræno maxíllas tuas constringet, ut saltem vexátio det tibi intelléctum: quátenuis ad ipsum appproximáre cogáris, qui heic moléste, salúbriter tamen flagéllat omnem fílium, quem récipit.

R. Aperuérunt super me ora sua, et exprobrántes percussérunt maxíllam meam. * Satiáti sunt pœ-

nis meis. *V.* Convulnerávit lumbos meos, concídit me vulnere super vulnus : non pepércit. — Satiáti. Glória Patri. Satiáti.

In III. Nocturno.

Añã. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, quæsiérunt ánimam meam et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ps. Exaltábo te Dñe. 56.

Añã. Réspice inimícos meos, Dómine, quóniam multiplicáti sunt, et ódio iníquo odérunt me.

Ps. Ad te Dñe levávi. 36.

Añã. Sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi et non est sanitas in carne mea a fácie iræ tuæ, non est pax óssibus meis.

Ps. Dñe ne in furóre. 64.

V. Circumdedérunt me vituli multi. *R.* Tauri pingues obsederunt me.

Léctio sancti Evangélii secundum Joánnem.

Lectio vii. Cap. xviii.

IN illo témpore : Pilátus exívit ad Judæos, et dixit eis : Est consuetúdo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis Regem Judæórum? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

In Joann. cap. xviii.

Redo cum dixisset Pilátus, quid est veritas, in mente illi venisse continuo consuetúdinem Judæórum, qua solébat eis dimitti unus in Pascha, et ideo non exspectávit ut responderet ei Jesus, quid esset veritas, ne mora fieret cum recolúisset morem quo posset eis per peccáta dimitti, quod eum valde volúisse manifestum est. Avélli tamen ab ejus corde non pótuit, Jesum Regem esse Judæórum, tamquam hoc sibi, sicut in título ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogávit.

R. In túrbine contrívit me et multiplicavérunt vulnera mea, implévit me amaritudínibus, * Et pili carnis meæ inhorruérunt. *V.* Clamábo vim pátiens, et nemo áudiet, vociferábor et non est qui júdicet? — Et pili.

Lectio viii.

Rat autem Barábbas latro. Non reprehéndimus, Judæi, quod per Pascha liberástis nocéntem, sed quia occidistis innocéntem : quod tamen

nisi fieret, verum Pascha non fieret : sed umbra veritatis a Judæis errantibus tenebatur, et mirabili dispensatione divinæ sapientiæ per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur, quia ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur. Hinc ea sequuntur quæ injuriõsa Christo Pilatus et cohors ejus ingressit.

R. Usquequo affligitis animam meam, et attēritis me : confunditis me, et non erubescitis opprimētes me. * Saltem intelligite quia Deus afflixerit me, et flagellis me cinxerit. **V.** Spoliavit me glória mea, iratus est furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum. — Saltem. **Gloria.** Saltem.

Lectio ix.

CUM Judæi clamassent non Jesum sibi a Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem, non Salvatorem, sed interfectorem, non datorem vitæ, sed adeptorem : tunc apprehēdit Pilatus Jesum, et flagellavit. Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ejus inju-

riis Judæi satiati, sufficere sibi existimarent, et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur, aut fortassis et jussit, quamvis hoc Evangelium tacuerit : dixit enim quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen jam jussisse non dixit.

Te Deum laudamus. 20.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Circumdedērunt me * dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbērunt me.

2. Passus sum * absque iniquitate, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.

3. Corpus meum * dedi percutiētibz et genas meas vellētibz : faciem meam non avērti ab increpātibz et conspuētibz in me.

4. In die afflictionis meæ prævenērunt me inimici mei, et factus est Dominus protector meus.

5. Quasi leo * sic contri- vit omnia ossa mea. Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit?

Capitulum.**Is. liij.**

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

Hymnus.

Salvete Christi vulnēra,
Immēsi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubēntis sanguinis.

Nitōre stellæ vincitis,
Rosas odore et balsama,
Prætio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Quot Jesus in prætorio
Flagella nudus excipit,
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas.

Venite quotquot criminum

Funesta labes inficit,
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat mundabitur.

Cæso flagellis glória,
Jesu, tibi sit jūgiter,
Cum Patre et almo Spiritu
Nunc et per omne sæculum. Amen.

V. Pedes eorum ad malum currunt. **R.** Et festinant ut effundant sanguinem innocentem.

Ad Bened. Añæ. Iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium

quæsiērunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Oratio.

DEus, qui pro salute nostra in assumptæ carnis infirmitate ad columnam alligari, et flagellis cædi voluisti : concede propitius ; ut qui ejusdem columnæ sollemniam celebramus, pretiosi sanguinis tui fructum consequi mereamur : Qui vivis.

Ad Primam, in R. br. dicitur V. Qui pro nobis pati dignatus es.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

R. br. Quem tu percussisti, * Persecuti sunt. Quem tu. **V.** Et super dolorem vulnērum meorum addiderunt. Persecuti. **Gloria Patri.** Quem tu.

V. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. **R.** Attritus est propter scelera nostra.

AD SEXTAM.

Capitulum.

Is. liij.

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, et quasi agnus coram tondeute se obmutescet, et generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra vi-

véntium, propter scelus
pópuli mei percússi eum.

R. *br.* Ipse vulnerátus
est, * Propter iniquitátes
nostras. Ipse vulnerátus.
V. Attrítus est propter
scélera nostra. Propter.
Glória Patri. Ipse.

V. Vere languóres no-
stros ipse tulit. **R.** Et do-
lóres nostros ipse portá-
vit.

AD NONAM.

Capitulum. *Is. liij.*

ET Dóminus vóluit con-
térere eum in infir-
mitáte. Pro eo quod labo-
rávit ánima ejus, vidébit
et saturábitur Dispértiam
ei plúrimos, et fórtium dí-
videt spólia, pro eo quod
trádidit in montem áni-
mam suam, et cum scele-
rátis reputátus est, et ipse
peccáta multórum tulit et
pro transgressóribus ro-
gávit.

R. *br.* Vere languóres
nostros, * Ipse tulit. Vere.
V. Et dolóres nostros ipse
portávit. Ipse. Glória Pa-
tri. Vere.

V. Ego in flagélla pará-
tus sum. **R.** Et dolor meus
in conspéctu meo sem-
per.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in j. Vesp. [366]
præter sequentia.

Hymnus.

QUÆ corda non emól-
liant
Et secta flagris térgora,
Et cincta spinis témpora,
Cruórque manans úndi-
que?

Christi sed hostes pérfidi
Humanitátem nésciunt :
Cruci dari post vérbera
Furóre poscunt cónciti.

Non ábnuít Jesus Crucem,
Gravíque dorsum pónderi
Sui dolóris cónciam
Linquens Colúmnam, súb-
jicit.

Duro gravátus stípíte,
Nostro magis sed crimine,
Morti dicáta víctima
En pergit ad Calváriam.

Crucem geréntes nos quo-
que,

Ipsó juvánte lánguidos,
Omni solúti vínculo,
Forti sequámur pectore.

Cæso flagéllis glória
Jesu, tibi sit júgiter,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæcu-
lum. Amen.

V. Ego autem in flagélla
parátus sum. **R.** Et dolor
meus in conspéctu meo
semper.

Ad Magnificat, Aña.
Non est ei spécies neque
decor : et vídimus eum et
non erat aspéctus, et de-
siderávimus eum.

FERIA SEXTA
POST CINERES.
SS. Spinæ Coronæ
D. N. J. C.
Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum ut in
Laudibus. [380]

Psalmi ut in j. Vesperis
de Communi Apostolo-
rum. [2]

Hymnus.

EXíte Sion filiæ,
Regis pudicæ Vir-
gines,

Christi coronam cernite,
Quam mater ipsa téxuit.
Horret revúlsis crínibus
Spinis cruentátum caput :
Et vultus ille decolor
Mortem propínquam ré-
spicit.

Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens et sénti-
bus,
Lugúbre munus prótulit,
Quæ sæva méssuit ma-
nus?

Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frú-
ctibus,

Spina est triúmphis áptior.
Culpis satæ mortálium
Te Christe spinæ vulne-
rant :

Evélle nostras, córdibus
Tuásque nostris însere.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

V. Plecténtes coronam
de spinis. **R.** Posuérunt
super caput ejus.

Ad Magnif. Aña. Egre-
dímini, et vidéte, filiæ
Sion, regem Salomónem
in diadémate, quo corona-
vit eum mater sua, parans
crucem Salvatóri suo.

Oratio.

PRæsta quæsumus om-
nipotens Deus : ut qui
in memóriam passiónis
Dómini nostri Jesu Christi
coronam ejus spinæam ve-
nerámur in terris, ab ipso
glória et honóre coronári
mereámur in cœlis. Qui
tecum vivit.

Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem
spinis coronátum, * Veníte
adorémus. **Ps.** Veníte. 2.

Hymnus. Exíte Sion. **ut**
supra.

IN I. Nocturno.

Aña. Erit tamquam li-
gnum, quod plantátum
est secus decúrsus aquá-
rum, et fructum suum da-
bit in témpore suo.

Ps. Beátus vir. [30]